



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. III. Solvuntur objectiones

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

habere nequeunt ex sola concomitantia habitus Charitatis: Ergo neque quod sint meritorij vite aeternae. Minor constat: sola enim concomitantia habitus charitatis, nihil influit super dictos actus. Major verò probatur: Actus illi, ut sint meritorij vite aeternae, debent esse ejusdem ordinis cum premio illo: Ergo & supernaturales, solum quoad modum.

142. Confirmatur: Vel charitas, aut ejus objectum aliquid influit in illos actus, vel nihil? Si nihil influat, licet ipsos comitetur, ex vi tamen talis concomitantiae praecise sumptae non sunt supernaturales quoad modum. Si aliqui influat, cum id praestare non possit, nisi in ordine ad proprium objectum, virtualiter saltem illos ad ipsum refert, ac proinde ex vi illius relationis, non verò solius concomitantiae, habent quod sit meritorij vite aeternae.

143. Dices cum Vazque: hujusmodi actus non habere modum supernaturalitatis ex habitu gratiae, vel charitatis eos concomitante, sed ex aliquo auxilio naturali, dato per Christum, nimirum ex cogitatione congrua ordinis naturalis, data ex meritis Christi.

Sed haec solutio frivola est, nam (praeterquam quod tale auxilium fictitium est, ut in Tractatu de gratia ostendimus) cum auxilium ordinis naturalis ejusdem speciei & valoris intrinsecus maneat, si videtur per Christum, si non repugnat praedictos actus habere modum supernaturalitatis ab auxilio ordinis naturalis, dato ex meritis Christi. Sicut quia oculus relictus a Deo per miraculum, est ejusdem intrinsecae perfectionis & speciei, cum oculo per generationem producto, sicut ille nullam potest elicere operationem, vires naturae superantem, ita nec ille, nisi a Deo miraculose confortetur, & ad talem actum elevetur.

§. III.

Solvuntur objectiones.

144. Contra istam conclusionem obijciuntur primò ex Scriptura: Matth. 12. & Marci 3. dicitur: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Sed qui facit opera moralium virtutum, etiam acquiruntur, absque alia ad motivum charitatis subordinatione, facit voluntatem Patris, non solum enim est voluntas Patris, quod ponantur opera virtutum infusarum, verum etiam acquiruntur: Ergo est frater, & soror Christi, ac proinde meretur apud Christum; opera namque per quae fit quis Pater Christi, non possunt non esse meritoria apud ipsum.

Confirmatur: In Scriptura operibus misericordiae promittitur merces vitae aeternae, Matth. 10. *Qui dederit posum aqua frigida tantum, non perdet mercedem suam:* & cap. 25. *Esurivi & dedistis mihi manducare:* Sed opera misericordiae sunt actus virtutis acquisite: Ergo actus virtutis moralis acquisite, secundum se, & absque imperio charitatis, etiam virtuali, sunt meritorij vitae aeternae, dummodo supponant habitum illius in subiecto operante.

Ad objectionem respondeo sensum Scripturae locis citatis esse: quod quicumque fecerit voluntatem Patris mei, plenè, perfectè, & adaequatè, ipse meus frater, & soror, & mater est: qui autem facit opera virtutum moralium, siue infusarum, siue acquiruntur, absque motivo charita-

tis, & virtuali saltem relatione in Deum ut finem ultimum, non facit voluntatem Dei perfectè & completè; quandoquidem non solum Deus vult quod hujusmodi opera eliciamus, sed etiam quod illa producamus cum tali motivo, & relatione saltem virtuali, juxta illud Apostoli ad Colos. 3. *Omnia quasunque facitis in opere & sermone, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite.*

Ad confirmationem dicendum, quod quando in Scriptura operibus misericordiae promittitur merces vitae aeternae, hoc debet intelligi de operibus misericordiae, quae fiant in nomine Christi, seu propter Christum, ut patet ex locis supra citatis. Unde Leo Papa serm. 7. Quadrag. explicans illud Matth. 25. *Quandis fecistis, uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis,* subdit: *Quid hoc opere fructuosius? quid hac humanitate facilius? quantum fraude sua fraudanda non esset, si propter ipsam naturae communicationem, jurando homini ab homine praeberetur, sed quia quod non ex fidei procedit fonte, ad praemia aeterna non pervenit, alia est conditio operum celestium, alia terrenorum.* Ubi nomine fidei plantum est, fidem vivam & charitate formatam, seu per dilectionem operantem, intelligere, subindeque existimare, opera misericordiae non esse coelestia id est digna coelesti premio, nisi a charitate virtualiter saltem imperentur.

Obijciuntur secundo: Per opera bona, quibus adimplentur praecepta naturalia, homo vitam aeternam promeretur: Sed ad mandatorum naturalium observantiam non est necesse, quod illa servantur ex motivo charitatis, vel alterius virtutis supernaturalis: Ergo opera bona à virtutibus moralibus acquisitis elicta, sunt meritoria vitae aeternae, etiam non imperentur à charitate. Minor videtur certa; Major verò probatur, Primò ex illo Christi Lucae 10. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata:* ubi observationi mandatorum secundum se promittitur vita aeterna. Secundò ex Tridentino sess. 6. cap. 10. ubi definit justos per bona opera, & observantiam legis, in dies crescere in iustitia. Et cap. 16. adducit illud 1. ad Corinth. 15. *Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vestester non erit inanis in Domino,* id est erit meritorius; & tamen absolute pronuntiat, *Abundate in omni opere bono:* Ergo censet omne opus bonum, secundum se, & absolute sumptum, esse meritorium vitae aeternae. Unde in eodem capite subdit, nihil deesse bonis operibus ab homine iustificato elictis, ad hoc ut vitam aeternam mereantur. Et can. 32. definit hominem iustificatum bonis operibus vere mereri augmentum gratiae, & vitam aeternam. Ubi cum nulla fiat mentio relationis actus charitatis, illa ad meritum vitae aeternae non videtur necessaria.

Respondeo distinguendo Majorem: Per opera bona quibus adimplentur praecepta naturalia, homo vitam aeternam meretur, si talia opera fiant ex motivo charitatis, & ab illa virtualiter saltem imperentur, concedo Majorem: Si fiant absque ullo motivo & imperio charitatis, nego Majorem: quamvis enim tunc homo per illa opera satisfaciatur legi, non tamen vitam aeternam meretur; quia, ut infra dicemus, alia est ratio satisfactionis, & alia ratio meriti. Unde D. Thomas qu. 2. de malo art. 5. ad 7. ait: *Modus charitatis sub necessitate praecepti includitur, secundum quod praeceptum ordinatur ad consecutionem beatitudinis, non autem secundum quod ordinatur ad vitandum peccatum.*

Ad primam verò probationem Majoris, de-
sumptam ex verbis illis Christi Lucæ 10. *Si vis
ad vitam ingredi, serva mandata*, dicendum
est ea debere intelligi de observatione manda-
torum ex motivo charitatis, quæ sola simpli-
tatem & absolute legis observatio dicitur; unde
ait Augustinus de spiritu & litt. cap. 14. *Man-
datum non servari, nisi fiat ex amore iustitiæ: non
enim fructus est bonus, qui de charitatis radice
non surgit.*

Eodem modo intelligenda sunt verba Tri-
denini, dicentis justos per bona opera, & obser-
vantiam legis, crescere in iustitia: subdit enim,
Cooperante fide bonis operibus, fide scilicet for-
mata, & per dilectionem operante. Similiter
cum dicit, bona opera hominis iustificati vitam
æternam promereri, loquitur de operibus à gra-
tia & charitate procedentibus, vel ab ipsa impe-
tratis; ait enim iustum mereri *operibus in Deo fa-*
ctis: sicut autem quando opera dicuntur fieri in
nomine Christi, intelligitur ea fieri ex motivo
charitatis; ita & quando in Deo facta appellan-
tur, significatur ea esse facta ex charitatis impe-
rio, & ad Deum ut finem ultimum virtualiter
fieri ordinata.

Obijcies tertio: D. Thomas quæst. 2. de malo
art. 7. ad 7. ait: *Habentibus charitatem omnis actus est
meritorius, vel demeritorius*: Sed actus vir-
tutum moralium in homine iusto, facti ex sola
suorum objectorum honestate, non sunt deme-
ritorii: Ergo erunt meritorij.

Confirmatur: Idem S. Doctor quæst. 2. dist. 4. q. 2.
quæst. 1. art. 5. in corp. docet actum bonum mo-
raliter, in eo qui non habet gratiam, esse indiffe-
rentem ad meritum vel demeritum, non verò in
eo qui gratiam habet, sed in illo debere esse vel
meritorium, vel demeritorium: At si relatio cha-
ritatis requireretur ad meritum etiam in habente
gratiam, posset dari actus cum tali indifferentia,
ut si faceret eleemosinam, non referendo illam
per charitatem ad Deum: Ergo juxta D. Tho-
mam, ad meritum vitæ æternæ in actibus hone-
stis & moraliter bonis, relatio seu imperium cha-
ritatis non requiritur.

Ad objectionem respondeo D. Thomam, cum
ait quod in habentibus charitatem omnis actus
est meritorius, vel demeritorius, non loqui de
habentibus charitatem solum habitualiter, & si-
ne ullo influxu actuali aut virtuali in actus alia-
rum virtutum, sed de habentibus charitatem,
formaliter aut virtualiter influentem in huius-
modi actus. Unde solum vult omnes actus vir-
tutum, etiam acquisitarum, in habente charitatem
esse meritorios de condigno vitæ æternæ: quia
nullus est ex ipsis, qui non imperetur à charitate,
mediante ipsius actu, quo in primo instanti iusti-
ficationis, diligendo Deum tanquam ultimum fi-
nem supernaturalem, totam vitam suam eo ipso
retrahit in Deum, quantum ad omnes actiones in
ipsum referibiles: hoc enim sufficere, ut omnes
actus boni subsequentes sint meritorij vitæ æter-
næ, docet idem S. Doctor quæst. 2. de virtuti-
bus art. 11. ad 2. dicens: *Cum aliquis seipsum or-
dinat in Deum, in omnibus quæ propter ipsum facit,
manet virtute intentio ultimi finis, qui Deus est:
unde in omnibus mereri potest, si charitatem habe-
at*. Caterum inde non sequitur, solam con-
comitantiam habitus charitatis, sive relatio-
nem habitalem actus virtutis acquisitæ in Deum
ut finem ultimum, sufficere ad meritum, sed so-
lum ad illud sufficere quancunque relationem

A virtutem ad Deum. Unde ad confirmationem
neganda est sequela Minoris, cum enim nullus
sit actus moraliter bonus, ab homine iusto eli-
citus, qui virtute primæ actus charitatis elicit in
instanti iustificationis, non referatur ad Deum
tanquam ultimum finem, repugnat dari in eo,
qui habet gratiam, actum moraliter bonum, qui
ad meritum vel demeritum indifferens sit.

Dices primo: Si actus charitatis quo homo in
principio vitæ, vel iustificationis, se & omnia
sua retrahit in Deum tanquam ultimum finem,
sufficeret ad imprimendum virtutem relationem
ad hunc finem in omnibus aliis sequentibus acti-
bus, non posset esse in homine iusto actus otio-
sus, quandoquidem in illa suppositione nullus
debito fine careret.

Sed negatur sequela: actus enim otiosus non
attenditur ex fine ultimo, sed proximo & parti-
culari qui non sit bonus: eo autem ipso quod ali-
quis actus non habeat finem proximum bonum,
non est ordinabilis in Deum ut finem ultimum,
subindeque in homine iusto, virtute primæ actus
charitatis, nequit in Deum referri, & ita reman-
et venialiter peccaminosus: actus vero omnes
virtutum moralium, etiam acquisitarum, habent
ex natura sua finem proximum bonum, ac proin-
de ex se ordinabiles sunt, mediante imperio cha-
ritatis, in ejus objectum, nempe in Deum ut fi-
nem ultimum.

Dices secundo: Non sufficit quæcumque præ-
terita intentio conficiendi Sacramenta, ad hoc
ut minister censeatur habere virtutem intentionem
quando illa conficit, alioquin unica inten-
tio celebrandi & conficiendi sacramentum Eu-
charistiæ duraret per totam vitam, etsi nunquam
amplius cogitaretur de conficiendo hoc sacra-
mento: Ergo similiter primus actus charitatis,
elicited initio vitæ aut iustificationis, non sufficit
ad hoc ut homo iustus virtualiter censeatur re-
ferre actus virtutum moralium in Deum ut in fi-
nem ultimum, sed ad hoc requiritur aliquis actus
charitatis, proxime præcedens, eadem saltem
die elicited.

Respondeo concessio Antecedente, negando
consequentiam, & parietatem. nam si in ministro
sacramentorum intentio actualis conficiendi sa-
cramenta sit valde antiquata, & longo tempore
præcesserit, non perseverat aliquis effectus ipsius
in quo remaneat virtualiter: in homine autem
iusto, perseverat habitualis & moralis con-
versio ad Deum, tanquam effectus primæ
dilectionis, quæ in Deum actualiter ordinavit,
quandiu per peccatum mortale non retractatur;
& sic ex vi talis dilectionis, omnes actus boni,
respicientes fines bonos proximos, in Deum vir-
tualiter referuntur.

Obijcies quarto: Omnes virtutum moralium
actus erant in Christo domino infiniti valoris &
meriti, ratione dignitatis Personæ: Ergo etiam
in homine iusto, meritorij sunt, ex hoc præcisè
quod à persona grata procedunt.

Respondeo distinguendo Antecedens: Omnes
virtutum moralium actus erant infiniti valoris &
meriti in Christo, ratione dignitatis suppositi in-
finiti, merè materialiter & concomitanter se ha-
bentis ad eorum productionem, nego Antece-
dens: concurrentis ad illos per modum principij
quod formaliter, concedo Antecedens. Similiter
distinguo Consequens: Ergo similiter actus homi-
nis iusti meritorij erunt ex hoc præcisè quod pro-
cedant à persona grata, gratia & charitate cōcur-
rentibus

rentibus per modum principii ad alios imperandum, concedo: gratia & charitate meriti concomitantur & materialiter se habentibus ad ipsos, nego.

156. Objicies ultimum: Ut opera moraliter bona sint satisfactoria de condigno pro peccatis, non requiritur relatio seu imperium charitatis. Ergo neque ut sint meritoria de condigno vitæ æternæ.

Respondeo dato Antecedente, de quo in Tractatu de penitentia, negando consequentiam & paritatem: quia aliunde petitur condignitas satisfactionis, & aliunde condignitas meriti, condignitas enim satisfactionis sumitur ex adæquatione poenæ cum culpa, juxta illud Apocal. 18. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum datus illi tormentum & luctum*; ad hoc autem ut poena sit æqualis culpæ, charitatis imperium non requiritur meritum verò de condigno vitæ æternæ fundatur in proportionem actus cum tali præmio, quam actus virtutum moralium acquiruntur, sine actuali aut virtuali saltem charitatis imperio, habere nequeunt.

§. IV.

Opinio Suavis refellitur, & D. Thomæ sententia restituitur.

Deo secundò, actus fidei & spei, ac virtutum moralium infusarum, ab homine iusto elicitos, nisi à charitate formaliter aut saltem virtualiter imperentur, non esse meritorios de condigno præmij essentialis, sed tantum accidentalis.

157. Hanc conclusionem ita clarè & expressè docet S. Thomas variis in locis, ut de eius mente nullus dubitandi locus remaneat. In primis enim hic art. 4. in corp. sic dicitur: *Vita æterna in Dei fruitione consistit: motus autem humanae mentis ad fruitionem divini boni est proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundum quod alie virtutes imperantur à charitate*. Et idè meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundariò, secundum quod earum actus à charitate imperantur. Ubi loquitur de actibus omnium virtutum, etiam fidei, & virtutum moralium infusarum. Unde in solut. ad 3. ait: *Fidei actus non est meritorius, nisi fides per dilectionem operetur, ut dicitur ad Galat. 5. Similiter etiam actus patientie & fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis ex charitate hæc operetur: secundum illud 1 ad Corinth. 13. Si iradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*.

Deinde idem S. Doctor 1. p. quæst. 12. art. 6. diversitatem visionis beatificæ reducit in diversitatem luminis gloriæ, diversitatem verò luminis gloriæ, in diversitatem charitatis, ait enim: *Intellectus suus participans de lumine gloriæ, perfectus Deum videbit. Plus autem participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate: quia ubi major est charitas, ibi est maius desiderium, & desiderium quodammodo facit desiderantem aptum & paratum ad susceptionem desiderati: unde qui plus habet de charitate, perfectius Deum videbit, & beatior erit. Similiter in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 4. quæst. unc. 4. docet diversitatem mansionum in celo, ex sola charitate, tanquam*

A ex meriti radice, defumi: *Actus noster (inquit) non habet quod sit meritorius ex ipsa substantia actus, sed solum ex habitu virtutis quo informatur: vis autem merendi est in omnibus virtutibus ex charitate, quæ habet ipsum finem pro obiecto: & idè diversitas in merendo (præmium essentialis) tota reducitur ad diversitatem charitatis, & sic charitas via distinguit mansiones per modum meriti*. Item 1. p. quæst. 95. artic. 4. hæc scribit: *Quantitas meriti ex duobus pensari potest: uno modo ex radice charitatis & gratiæ; & talis quantitas meriti respondet præmio essentiali, quod consistit in Dei fruitione: qui enim ex majori charitate aliquid facit, perfectius Deo fruitur. Alio modo pensari potest quantitas meriti ex quantitate operis: quæ quidem est duplex, scilicet absoluta, & proportionata vidua enim quæ misit duo era minuta in gazophylacium, minus opus fecit quantitate absolutè, quam illi qui magna munera posuerunt, sed quantitate proportionali vidua plus fecit secundum sententiam Domini, quia magis ejus facultatem superabat. Vtraque tamen quantitas meriti respondet præmio accidentaliter, quod est gaudium de bono creato*.

Denique idem Doctor Angelicus super cap. 3. Epistolæ ad Corinth. lect. 2. hæc verba Apostoli, *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*, exponens, hæc habet: *Præmium laboris nostri attenditur primò secundum formam charitatis, cui respondet merces essentialis: unde dicitur Ioan. 14. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum: unde qui ex majori charitate laborat, licet minorem laborem patitur, plus de præmio essentiali accipiet. Secundo ex specie operis: sicut enim in rebus humanis ille magis præmiatur, qui in digniori opere laborat, sicut architector, quàm artifex manualis, licet minus labores corporaliter: ita etiam in rebus divinis ille qui in nobiliori opere occupatur, maius præmium accipiet, quantum ad aliquam prærogativam præmij accidentalitè, licet forte minus corporaliter labores: unde aureola datur doctoribus, virginibus, & martyribus. Ubi manifestum est, S. Thomam loqui de opere ex virtute supernaturali & infusa procedente, quia aureola, & quodcumque aliud præmium accidentale, correspondere non potest virtuti naturali & acquisitæ, ex propria ipsius bonitate*.

Potest etiam conclusio multiplici ratione suaderi. Prima est: Perfectio vitæ Christianæ essentialiter consistit in charitate: Ergo meritum præmij essentialis in illa sola fundatur; subindeque nulli alteri virtuti potest competere, nisi ex ejus motione & imperio. Consequentia manifesta est: præmium enim essentialis patriæ correspondet perfectioni essentiali vitæ, unde tantò major quis erit in beatitudine, quantò præstantior fuit in perfectione vitæ Christianæ. Antecedens verò docetur à D. Thoma 2. 2. quæst. 184. art. 1. ubi illud probat in argumento *sed contra*, ex illo Apostoli ad Colos. 3. *Super omnia charitatem habere, quod est vinculum perfectionis*; subdens: *quia scilicet omnes alias virtutes quodammodo ligat in unitatem perfectam*. In corp. verò articuli, sic dicitur: *Unumquodque dicitur esse perfectum, in quantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio: charitas autem est quæ unit nos Deo, qui est ultimus finis humanæ mentis, quia qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, ut dicitur 1. Ioan. 4. Et idè secundum charitatem specialiter attenditur perfectio Christianæ vitæ. Et in resp. ad 2. ait: Dupliciter potest dici aliquis perfectus: uno modo simpliciter; quæ quidem*